

in Ostgocia sitis, que de Inge[bo]rge Abyornadotter, mei Ingridis matre dilecta, rite et legaliter empcionis t[itulo] . . . ues obstante, conquisicionem predictam nobis eciam compensam fecit iuxta nostre lybitum voluntatis, vnde, quantum in nobis e[st], nos ipsi domino Nicholao predicta bona dimittimus iure perpetuo possidenda vel quomodolibet secundum suam voluntatem libere ordinanda. In cuius testimonium sigilla nostra presentibus sunt appensa. Datum Stocholmis anno Domini m^occc^o quinquagesimo primo quarta die mensis ianuarii.

På baksidan en fragmentarisk anteckning.

Två sigill ha varit vidhängda, af hvilka endast fragment af sigillremsorna äro bevarade.

Ena hörnet af brefvet är bortrifvet och brefvet i öfrigt söndrigt, hvilket vållat luckorna i texten.

4668.

1351 Jan. 13.

Birger Karlsson skänker sin egendom i Löt, Ledebergs socken, till S:t Olofs kapell i Linköpings domkyrka.

Afskrift på perg. i Upsala Univ. Bibl.¹⁾

Nouerint vniuersi presentes litteras inspecturi, quod ego Birgherus Karlson volens et summe desiderans oracionum et suffragiorum particeps esse, que die noctuque largiente Domino fient in ecclesia Lincopensi, ob anime mee remedium et meorum remissionem peccaminum totalem possessionis partem in villa dicta Løth, parochie Ledhabergh, quam titulo empcionis habui me contingentem, cum edificiis ibidem erectis pure et simpliciter eidem ecclesie confero et in manus domini Birgheri de Thyrnwallom, ipsius ecclesie ychonomi, pro cappella sancti Olai et ipsius reddituum augmentacione trado specialiter et assigno, sororis mee parte ibidem pro triginta marcis denariorum vendita et pro redditibus in ipsa cappella seruiantis annuatim eciam annectendi(!). In cuius rei maiorem euidentiam sigillum fratris mei Magni Karlson vna cum sigillis ciuitatis et Nicholai de Stang et meo proprio presentibus sunt appensa. Sub anno Domini m^occc^ol primo in octaua epiphanye Domini.

4669.

[1351]²⁾ Jan. 15.

Dorpat.

Köpmännen i Dorpat underrätta rådet i Lübeck om konung Magnus' fordran å beslagtagande af Novgorodsfarnes egendom m. m.

Samtida afskrift i Rostocks Rådhusarkiv. Tryckt efter HR 1, s. 80 f.

Honorabilibus viris et discretis, dominis consulibus civitatis Lubicensis, mercatores in Tarbato constituti fidelis obsequii solutum (∴ salutem)³⁾. Vestre inexhauste discrecioni conquerimur querulose, quod rex Suecie in civitate Revaliensi omnes mercatores cum bonis eorundem arrestavit et certificacionem faciendam per

¹⁾ Intaget i vidimation, utfärdad den 12 mars 1398 af Johannes Svarteprest, kanik i Linköping, Benedictus, prebendat darsammastädes, m. fl.

²⁾ Om dateringen af detta bref se ST 2, s. 131.

³⁾ Två föregående ord hafva ej kunnat dechiffreras.

fideiussores pro vita et bonis angariavit, sed consules civitatis Revaliensis totis viribus, ne gravius periculum suboreretur, renitebantur. Post rex Suecie predictus episcopo et civitati Tarbatensi litteras destinavit, postulans et petens, ut mercatores in Tarbato eisdem periculo et gravaminibus subiacerent; super quibus consules Tarbatenses respondebant, quod ad negocium predictum plenarie nichil facerent nec responderent, ex quo episcopus Tarbatensis presens non aderat, dominus et tutor eorundem. Littera autem regis continebat, quod nuncio et exhibitori credi deberet, ac si rex Suecie predictus presens esset. Dixitque nuncius memoratus: Ex quo aliud responsum non audio, bona mercatorum omnia presencia hic inpeto et arresto, quoad usque dominus rex venerit, in Christo patri episcopo Tarbatensi fuerit alloquutus. Posthec Magnus, rex Suecie memoratus, spectatos episcopum Tarbatensem et quatuor eiusdem civitatis consules et sex de mercatoribus ad Revaliam ad se vocavit. Et sic mercatores in Tarbato tunc presentes, deliberacione prehabita, duos mercatores cum dictis episcopo et consulibus ad regem destinabant, ad audiendum, in quo mercatores inculparet; quod tamen nichil facerent, nisi esset cum consensu domini episcopi et consulum pretactorum. Et cum ad presenciam regis prehabiti duo venissent, requisivit rex, an ita venissent, quod satisfacere vellent pro iniuriis sibi a mercatoribus illatis. Econtra duo dicti a rege requirebant, an communiter mercatores vel aliquem seu aliquos singulariter incusaret. Super quo rex respondit: Quis sit communis mercator, ignoramus, sed omnes Nougardiam visitantes inculpamus. Super quo allegavit rex litteras, sibi a civitatibus datas et sigillatas, ita resonantes, quod iam omnes mercatores orientales partes visitantes graviter in ipsorum corporibus et bonis excesserunt seu peccarunt. Ad que duo mercatores responderunt, quod pro certo scirent, quod civitates communes mercatores cum ipsorum bonis non relinquerent nec talibus litteris desolarent. Respondit autem rex, quod dicte littere essent in bona custodia, si castrum Stocholmense incendio non esset devastatum. Interea peccavit episcopus Tarbatensis, quod rex dictam causam usque ad civitates protelaret; nam in hiis partibus sint tantum iuniores de mercatoribus, qui in causa predicta sint ignari. Tunc rex peccavit, ut episcopus sibi iusticiam de mercatoribus in sua dyocesi constitutis [facere vellet] ¹⁾; quod si non faceret, vellet id omnibus pro ipso facere et dimittere quicquam volentibus querulari. Responditque episcopus, quod non speraret, quod ipsum in hiis causis in tantum vellet aggravare. Super hec omnia sepetacti episcopus et consules Tarbatenses consuluerunt, ut predicta mercatorum bona sub eadem regis arrestacione incommutata usque ad iudicium et consilium civitatum securius magis permanerent, quam iudicium a rege postulatum dampnose subirent. Iterum (scilicet: item) scitote, quod rex transit per omnes civitates, villas et castra tam episcopi quam cruciferorum, et quid pretendat ignoramus. Quare perintime supplicamus, ut maturo vestro consilio mercatores non negligatis, sed ubicunque locorum firmiter incautetis, ut unusquisque videat, qualiter visitet partes orientales. Specialiter petimus, ut copiam huius scripti Gotlandiam et Brugis destinatis. Cum alia nova perceperimus, eadem vobis quantocius poterimus trans[scribemus] ²⁾. Datum sabbato post octavam epyphanye Salvatoris.

Äfven tryckt i ST 2, s. 131 f.

¹⁾ Saknas i handskriften.

²⁾ Oläsligt i handskriften.